



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LV. Encomium humilitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

*Pf. 144. v. 1. incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq;
Pf. 34. v. 28. quot nominibus sit Deo obnoxius.*

III. ab utilitate laudum divinarum, quam id attestatur, quod Deus non exigit à nobis laudes ullas, nisi ob commodum nostrum: ipse enim, ut loquitur David, bonorum nostrorum non eget.

In PERORATIONE monebis Auditores, ut amore Dei inflammari, perpetuò laudent Deum cum Davide, qui dixit: *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, ut laudent eum in omnibus prosperis & adversis, beneficiis & pœnis, & ut, cum non possunt Deum laudare verbis & factis, vitaque sancta, laudare saltem voluntate & corde contentur.*

LV. ENCOMIUM HUMILITATIS.

EXORDIUM ducatur ab illustri hac sententia S. Augustini; Sicut, ait, Rhetor ille nobilissimus, cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in Eloquentia præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundo, eandem pronuntiationem, quid tertio nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christiana Religionis nihil aliud respondere, nisi humilitatem liberet, etsi forte aliam dicere necessitas cogeret.

PROPOSITIO: Te igitur Auditoribus in memoriam revocaturum, quanta sit virtus humilitatis, idq; eo libentius, quod non dubites eos huius virtutis esse alumnos & cultores.

Matt. 5. v. 3. I. CONFIRM. LOCUS, sit præstantia & dignitas
Ca. 11. v. 29. huius virtutis, quam inde cognoscimus, quod
Hier. epi. 29. Christus cœlestem suam doctrinã in monte discipulis traditã, ab ea exorsus sit, & quod illius solius & mansuetudinis professus sit se esse doctorem. Hinc enim veteres Patres humilitatem faciunt propriam & primam Christianorum virtutem.

II. eius-

II. *eiusdem necessitas*, quam non obscure indicavit Christus, cum ad quæstionem discipulorum, quis major esset in regno cælorum, advocato parvulo, respondit: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Eadem in-
 finuant SS. Patres, cum eam faciunt fundamen-
 tum, firmamentum, custodem, caput, radicem, &
 originem omnium virtutum. Certè absque eius
 beneficio ad virtutum perfectionem nequit per-
 venire, imò sine ea reliquæ virtutes subsistere non
 queunt. Hinc S. Gregor. in 3. Psal. Pœnit. *Qui
 sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum
 pulverem portat.* & Hom. 7. in Evangel. *Si qualibet
 bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condi-
 antur.* Miranda quippe actio cum elatione, non elevat,
 sed gravat. Adhæc constat interpretiosa Dei do-
 na numerari Virginitatem perpetuam: & tamen
 S. Bern. ait Hom. 1. super Missus est: *Laudabilis vir-
 ginitas, sed magis necessaria humilitas, illa consulitur,
 ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virgi-
 nitas Maria placuisset.*

III. *Eius multiplex utilitas.* PRIMA, quòd una hæc
 præ cæteris Deo grata sit, & ab eo veniam pec-
 catorum atque gratiam impetret. Hinc David
 Psalm. 101. v. 18. *Respexit in orationem humilium, &
 non sprevit precem eorum.* Psalm. 112. v. 6. *Humilia re-
 spicit in cælo & in terra.* Psalm. 50. v. 19. *Cor contritum
 & humiliatum Deus non despiciet.* & Syr. 35. vers. 21.
Oratio humiliantis se penetrabit nubes. & Esa. 6. v. 2.
*Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum
 spiritu & tremementem sermones meos?* Et B. Virgo Lu. 1. v. 48. 6
*Maria, quia respexit humilitatem ancilla sua. Depo-
 suit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Et Jacob.
 c. 4. v. 7. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat
 gratiam.* Inde S. August. (lib. 3. de Doctr. Chr. c. 23.)
Nulla ferè pagina est sanctorum Librorum, in qua non
 Pars I. N sonet

sonet quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

SECUNDA, Quod mereatur vitam æternam. Hinc Job. c. 22. v. 29. *Qui humiliatus fuerit; erit in gloria; & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Et Christus Matth. 5. v. 2. *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* & Luc. 14. v. 11. *Qui se humiliat exaltabitur:* quæ sententia sæpius in Evangelio repetitur. Vnde Apostolus ad Phil. 2. v. 8. cum dixisset, Christum seipsum humiliasse usque ad mortem crucis, mox subiecit: *Propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

TERTIA, Quod mentem nostram clarius illustraret ad percipiendas res divinas, juxta illud Salom. Prov. 11. v. 2. *Vbi est humilitas, ibi est Sapientia:* & Christi (Matth. 11. v. 25. *Consuebor tibi Pater, quia abscondisti, &c.*

QUARTA, Valet ad frangendas & expugnandas omnes dæmonis tentationes & machinationes: quia dæmon per superbiam felicitate æterna excidit. Vnde Christus discipulis gloriantibus de ejectione dæmonum, eis in memoriam revocavit causam lapsus eorum, dicens: *Vidi Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* S. Antonius Eremita, teste S. Athanasio, dicere solebat, dæmonem nil pejus odisse, quàm humilem & Dei amantem: idemque cum per visum mundum laqueis plenum spectasset, Dominumque rogasset, quæ ratio evadendi esset, responsum accepit, evadi per humilitatem.

QUINTA, Est signum præsentia spiritus Sancti, imò & teste Gregorio, electionis, æternæ, juxta illud Esaiæ ult. v. 2. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?*

In PERORATIONE incitabis Auditores, ut strenuè pergant in hac se exercere virtute, se semper Deo subjiciant, nunquam ulli hominum anteponant,

Lib. 35. Mor. 6. ult.
Luc. 17. v. 10. cum feceris, &c.

ponant, eò submissius absq; omni dolo ac fūco ex corde se gerant, quò ad majorem honorem erecti sunt: non solum sermone actioneq; externa se deprimant, sed revera in animo humiliter de se suisque meritis sentire, & virtutes suas, quò melius eas conservent, occultare discant.

LVI. PARÆNESIS AD OBEDIENTIAM.

EXORDIUM ducetur à *regia* & egregio dicto Pauli *Æmily*, qui apud Plutarchum ad Persem Regem Macedonum jam captivum, *Virtus*, inquit, *magnam conciliat vel apud hostes reverentiam afflictis:* Hoc *Primo inductione aliquot exemplorum singularium confirmabitur*. Sic enim Brutum ferunt virtutis causa vulgo charum, amicis dilectum fuisse, admirationi optimo cuique, odio venisse ne hostibus quidem. Cum Scipio Africanus in exilium voluntarium cessisset, prædones quidam eum salutatum venerunt, ut tantum virum intuerentur, dextramq; illius fide & victoriis præstantem contingerent. Tiberius Gracchus, cum Censor Romæ fuisset, & bis Consul, duosque triumphos reportasset, dignitatem tamen quæsit ex virtute majorem. Agesilaus interrogatus, quomodo quis maximè probaretur apud homines, respondit, si dicat oprimè, & faciat honestissimè. *Deinde à genere ad speciem descendendo*, etsi tanta vis sit omnium virtutum, ut non solum probos, sed improbos etiam ad se amandum alliciant; tamen cum primis eam in obedientia virtutum matre elucere docebitur, propterea quòd (ut ait Greg. in Moral.) sola obedientia virtus sit, quæ cæteras virtutes menti inserit, inserasq; custodit.

PROPOSITIO. Tibi igitur certum ac deliberatum esse ad hanc virtutem tam salutarem, tam necessariam omnes excitare & inflammare.